✠

SERENISSIMO, POTENTISSIMO, ET CATHOLICO PRINCIPI, ET DOMINO D. Philippo, Diuina fauente clementia, Hispaniarum, Legionis, Aragonum, Portugalliæ, Neapolis, vtriusque Siciliæ, citra, & vltra Pharum, Valentiæ, Nauarræ, Sardiniæ Regi, Archiduci Austriæ, Mediolani, Burgundiæ, Flandriæ Duci, & Comiti, Indiarum quoque Orientalium, & Occidentalium, Maris Oceani, ac Noui Orbis Dominatori; Regnorũ, Ducatuũ, & aliorum Dominiorum vestrorum fœlicis prosperitatis augmentũ; Necnon Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Archiepiscopo Hispalensi: ac Reuerendissimis Dominis Malacitan. & Corduben. Episcoporumque, & cuiuslibet ipsorum, in spiritualibus, & temporalibus, Officialibus, aut Prouisoribus generalibus; Vniuersis quoque, & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Sacristis, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Canonicis, Curatis, & non Curatis, ac Monasteriorum, & Ordinum quorumcumque Generalibus, Prouincialibus, Ministris, Guardianis, Fratribus, Monacis, Regularibus, Conuentualibus, exemptis, & non exemptis, cæterisque Presbyteris, Clericis, Notarijs, & Tabellionibus publicis quibuscumque per dictorum Dominorum Archiepiscopi, & Episcoporum, Ciuitates, & Diœceses, & aliás vbilibet constitutis, & eorum cuilibet in solidum; Necnon etiam Illustrissimis, Excellentissimis, Illustribus, & Magnificis Viris Dominis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Vicecomitibus, Domicellis, Capitaneis, Consulibus, Iustitiarijs, Aduocatis, ac Curiarum quarumcumque, tam spiritualium, quàm temporalium, Terrarumque, Ciuitatum, Oppidorum, Castrorum, Villarum, & Vniuersitatum quarumcumque Maioribus, Rectoribus, & Præfectis, cæterisque Dominis, & personis quibuscumque iurisdictionem spiritualem, temporalem, & ordinariam, ac aliàs vbilibet constitutis. Et præsertim Illustri, & admodum Reuerendo D. Ioanni Rubio de Herrera, Procuratori bonæ memoriæ Ferdinandi Afan de Ribera, & Henriquez, Ducis Alcala, & quatenus domini litis effecti, & non aliàs, &c. & aliàs omni meliori modo, &c. omnibusque alijs, & singulis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit, quomodolibet in futurum, quibuscumque nominibus censeantur, & quacũque præfulgeant dignitate. ¶ CLEMENS MERLINVS Iuris vtriusque Doctor, Sanctissimi Domini nostri Papæ Cappellanus, & ipsius sacri Palatij Apostolici causarum Auditor, Iudex Commissarius causæ, & causis, ac partibus infrascriptis, & Executor vnicus ad infrascripta Apostolica auctoritate specialiter deputatus, Salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere, ac in præmissis diligentiam facere, nostrisque huiusmodi, imó veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis: NOVERITIS, quôd aliàs Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster D. Vrbanus, diuina prouidentia Papa Octauus, subinsertam commissionem nobis præsentari fecit, tenoris sequentis; videlicet. BEATISSIME PATER, Aliás fundato, & dotato Hospitali quinque Vulnerum, vulgò de la Sangre nuncupato, in ciuitate Hispalensi, fuerunt dati, & deputati tres illius Patroni (videlicet) Priores Conuentuum S. Isidori del Campo, S. Hieronymi de Buenavista, & Sanctæ Mariæ de las Cuevas, nuncupatorum, consistentium extra muros

dictæ Ciuitatis;& datio, & deputatio Patronorum huiusmodi fuit auctoritate Apostolica confirmata,fueruntque abinde dicti Priores in possessione iuris ad eorum quemlibet spectantis: insurrexit nihilominus Dux de Alcala,qui expositione facta Sanctitati vestræ, Patronatum dicti Conuentus sancti Isidori vacare,& ordinem, seu institutum, ante dationem dicti iuris Patronatus,in dicto Conuentu sancti Isidori seruari solitum,tempore dationis prædictæ fuisse extinctum, consequenterque dictum ius Patronatus dicto Conuentui non fuisse acquisitum illud, seu parte dicti iuris Patronatus ad prædictum Conuentum spectantem, à Sede Apostolica impetrauit, pro se, & suis,in perpetuum,& Litteras desuper expeditas Decano Hispalensi præsentauit,ab eoque earundem executionem prætensam,non obstantibus subreptionis,& obreptionis,per Oratorem deductis exceptionibus,vti dicitur, reportauit,seu se in possessionem immittendum decerni fecit:à quibus omnibus cùm modernus Prior dicti Conuentus sancti Isidori intra legitima tẽpora appellauerit;dignetur Sanctitas vestra,causam,& causas appellationis, & appellationum huiusmodi nullitatis ex tribus, iniquitatis, & iniustitiæ, attentatorum,& innouatorum quorumcumque,ac restitutionis in integrũ, prout de iure aduersus quæcumque prȩiudicialia,saltem ex clausula generali,Siqua,&c. ac quam,& quas,cum omnibus suis incidentibus,dependentibus,emergentibus,annexis,& connexis, totoque negotio principali, alicui ex vestri sacri Palatij Apostolici causarum Auditoribus,siue Locumtenenti, quia agitur de perpetuo præiudicio, & inter ambos Prouisos Apostolicos, audiendas,cognoscendas,decidendas, fineque debito terminandas, committere,& mandare,cum facultate citandi dictum aduersarium, omnesque alios,quos opus erit, etiam per edictum publicum constito, &c. illisque, & quibus videbitur,sub sententijs,censuris, & pœnis inhibendi, contradictores in illas,seruata forma Concilij Tridentini,incidisse declarandi, grauandi,aggrauandi,auxiliumque inuocandi,attentata,& innouata quæcumque, prout de iure reuocandi,fataliaque quatenus durent,arbitrio suo prorogandi;& quatenus lapsa sint,aduersus eorum,&cuiusvis temporum lapsum,rem iudicatam,& alia quæcumque præiudicialia in integrum prout de iure restituendi,aliaque faciendi,&c.Præmissis,&c.Statum,&c.De mandato Domini nostri Papæ,audiat Magister Clemens,citet etiam per edictum, inhibeat etiam sub censuris,proroget,reuocet,restituat,procedat,vt petitur, & iustitiam faciat. Placet Domino nostro Papę. A.Cardinalis Barberinus.

Cvivs quidem,& aliarum in actis præsentatarum Commissionum vigore, Nos in causa, & causis huiusmodi procedentes, inter dictum Priorem Sancti Isidori del Campo,ex vna, & bonæ memoriæ Illustrissimum, & Excellentissimum Dominum Ferdinandum Afan de Ribera Henriquez Ducẽ de Alcala, ex altera partibus, seu eorum legitimos Procuratores, ad quem plures actus,& terminos iudiciarios deuentum fuit, & subinde post obitum tam dicti Domini Ducis, quàm omnium eius filiorum, & descendentium, prout sufficienter de hoc in actis doctum fuit, inter dictum Reuerendum Priorem,ac dictum Dominum Ioannem Rubio de Herrera,quatenus dominum litis effectum processimus: vnde seruatis omnibus, & singulis de iure seruandis,cognitisque ad plenum,causæ,& causarum huiusmodi meritis, ac super illis disputato pluriès particulari dubio,in sacro Rotæ Auditorio, eoque ad fauorem dicti Reuerendi Prioris suprà nominati resoluto, ac citato eodem Domino Ioanne Rubio,quo suprà nomine,per vnum ex Sanctissimi

Domini

Domini nostri Papæ:Cursoribus, ac genericè per audientiam publicam litterarum contradictarum Sanctissimi Domini nostri Papæ citatis omnibus, & singulis personis quomodolibet in huiusmodi causa interesse prætendentibus, Nos nostram in scriptis, per ea quæ vidimus, & cognouimus, ad favorem eiusdem Reuerendi Prioris, tulimus, & promulgauimus sententiam diffinitiuam huiusmodi sub tenore, videlicet.

CHRISTI NOMINE INVOCATO, Pro Tribunali sedentes, sed solum Deum præ oculis habentes: Per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam de Coauditorum nostrorum consilio, & assensu ferimus in his scriptis, in causa, & causis, quæ coram nobis versæ fuerunt, & vertuntur, inter bonæ memoriæ Excellentissimum Dominum Ferdinandum de Ribera, Ducem de Alcala, & post eius obitum, Dominum Ioannem Rubio, quatenus dominum litis effectum, & aliàs omni alio meliori modo, & quoscumque alios, suà quomodolibet interesse putantes, actores ex vna, & Reuerendum Priorem Sancti Isidori del Campo, Ordinis sancti Hieronymi, alterum ex Administratoribus Hospitalis quinque Vulnerum, de la Sangre nuncupati, in ciuitate Hispalensi aliás constructi, & dotati à Dña Catharina de Ribera, reum conuentum, partibus ex altera, de & super asserto Breue, per eundem Dominum Ducem Ferdinandum, à Sanctissimo Domino nostro Papa Vrbano Octauo obtēto, sub data xxxj. Ianuarij, anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, super gubernio, & administratione dicti Hospitalis, rebusque alijs, tanquam in prima procedentes instantia, dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, ac diffinitiuè sententiamus, huiusmodi Breue á dicto Sanctissimo Domino nostro Papa, nomine dicti Ducis obtentum, sub dicta data trigesimaprima Ianuarij, anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, tanquam nulliter, obreptitiè, & subreptitiè extortum, non obstasse, neque obstare, aut in aliquo preiudiciale fuisse, nec esse eidem Priori Sancti Isidori, nec successoribus Prioribus pro tempore in dicto Conuentu, seu Monasterio existētibus, nec aliquo modo illi, vel successoribus Prioribus, super gubernio, & administratione dicti Hospitalis afficere potuisse, nec posse, nullamque contra dictum Priorem, & successores meruisse, nec mereri executionem: & propterea omnes molestationes, vexationes, perturbationes, & impedimenta quæcumque eidem Priori Sancti Isidori pro tempore existenti, occasione dicti asserti Breuis, quomodocumque, & qualitercumque, hactenus illatas, & præstitas, seu illata, & præstita fuisse, & esse indebitas, & iniustas, ac indebita, & iniusta, ac temerariè, & de facto factas, & facta, & tanquam talia reuocanda, & annullanda fore, & esse, prout reuocamus, & annullamus, & ad nihilum redigimus, tanquam si dictum Breue emanatum non fuisset, perpetuumque silentium, de & super præmissis, dictis actoribus imponendum fore, & esse, prout imponimus, victumque victori, in expensis condemnamus, quarum taxationem, & liquidationem nobis, vel cui de iure reseruamus. Et ita dicimus, pronunciamus, & declaramus, non solùm præmisso, sed omni alio meliori modo, &c. Ita pronuntiaui ego CLEMENS MERLINVS, sacræ Rotæ Auditor, & Iudex, &c. QVAE quidem sententia, nulla appellatione suspensa, transitum fecit in rem iudicatam executioni demandandam. Ad cuius propterea, & rei iudicatæ executionem procedere volentes, ad præfati Reuerendi Patris Prioris Sancti Isidori del Campo principalis instantiam, dictum Dominum Ioannem Rubium de Herrera Procuratorem, dominum litis effectum præfatum, ad videndum pro in præinserta sen-

 tentia

tentia diffinitiua,& re iudicata inde secuta contentis, litteras executoriales extra Romanam Curiam,& ad partes, decerni,& relaxari, per vnum ex prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursoribus, cæterosque alios interesse habentes, in genere, per audientiam publicam litterarum contradictarum Sanctissimi Domini nostri Papæ citari mandauimus,& fecimus, ad certum peremptorium terminum competentem(scilicet)ad diem, & horam infrascriptas, quibus aduenientibus, constitutus coram nobis Illustris, & Excellens Dominus Franciscus Marrellinus, I. V. D. in Romana Curia causarum, ac eiusdem Reuerendi Prioris Sancti Isidori del Campo principalis prędicti legitimus Procurator,& eo nomine Procuratorio, præinsertam sententiam diffinitiuam in rem iudicatam transactam, exequi, seu pro contentis in ea,& re iudicata inde secuta, litteras executoriales extra Romanam Curiã, & ad partes in forma solita,& consueta, decerni, & relaxari, nos debita cum instantia postulauit. Nos TVNC CLEMENS MERLINVS, Auditor prædictus, Iudexque Commissarius,& Executor vnicus, attendentes requisitionem,& postulationem huiusmodi fore iustam, & rationi consonam, quodque iusta petentibus, non est denegandus assensus, & quod parum esset sententiam promulgare, & rem iudicatam habere, nisi debitæ executioni demandaretur. Idcirco auctoritate Apostolica nobis commissa,& qua fungimur, in hac parte, sententiam præinsertam, vt præfertur, in rem iudicatam transactam exequendam,& debitæ executioni demandandam, litterasque executoriales pro contentis in ea desuper opportunas, decernendas,&relaxandas fore, & esse duximus, prout decernimus,& relaxamus per præsentes. Quæ omnia, & singula præmissa, vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrûm cuilibet, quibus præsentes nostræ litteræ diriguntur, intimamus, insinuamus, & notificamus, ac ad vestram, & cuiuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus,&mandamus per prȩsentes, vosque nihilominus,& vestrum cuilibet auctoritate prædicta tenore præsentium requirimus, & monemus, primô, secundô, tertió, ac vobis, & vestrum cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ,& sub infrascriptis sententiarum pœnis districtè præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium, post præsentationem, seu notificationem præsentium,& requisitionem vobis, seu alteri vestrum, pro parte dicti Reuerendi Patris Prioris Sancti Isidori del Campo, Ordinis sancti Hieronymi, alterum ex Administratoribus Hospitalis quinque Vulnerum, de la sangre nuncupati, principalis desuper factam immediatè sequentium, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo,& reliquos duos dies, vobis,& vestrum cuilibet pro tertio,& peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, eundem Reuerendum Patrem, nunc,&pro tempore existentem Priorem Sancti Isidori del Campo, Ordinis sancti Hieronymi, Administratorem Hospitalis quinque Vulnerum, de la Sangre nuncupati, in ciuitate Hispalen. aliàs constructi,& dotati per quondam Catherinam de Ribera, principalem præfatum, ab impetitionibus, oppressionibus, molestationibus, vexationibus, perturbationibus,& impedimentis sibi, vigore Breuis Sanctissimi Domini nostri Papȩ, nomine bonæ memoriæ Domini Ferdinandi de Ribera Ducis de Alcala obtenti, sub data trigesima prima Ianuarij anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, per quascumque personas, &c. de & super gubernio,& administratione dicti Hospitalis, & illius occasione quomodolibet factis, præstitis,& illatis, defendatis, tueamini, & conserue-tis, ac ab illis defendi,& conseruari, ac tueri faciatis,& procuretis, nec eun-

dem

dem Reuerendum Patrem Priorem,à quibusuis personis,de & super dicto gubernio,& administratione dicti Hospitalis,aut eius occasione quoquomodo molestari,impeti,inquietari,perturbari,ac vexari permittatis,quinimó eundem R.P.Priorem prædictum in sua pacifica possessione,vel quasi liberæ administrationis,& gubernij dicti Hospitalis,eorumque iurium,annexorum,& pertinentiarum quarumcumque manuteneatis,defendatis,& tueamini,cum prærogatiuis,& iuribus suis vniuersis,amotis,& expulsis exinde quibuscumque illicitis detentoribus,& occupatoribus,prout nos etiã eundem R.Patrem Priorem prædictum,in dicta quieta,& pacifica possessione,vel quasi liberè gubernandi,& administrandi,dictumque Hospitalem,prærogatiuis,honoribus,& iuribus suis vniuersis manutenemus,defendimus & tuemur,ac quoscumque illicitos detentores,& occupatores expellimus,& eijcimus per præsentes,dicto Breue Sanctissimi Domini nostri Papæ,ad fauorem dicti bonæ memoriæ Ducis Ferdinandi de Ribera obtento,sub data xxxj.Ianuarij,anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti,tanquam obreptitiè,& subreptitiè extorto,cæterisque contrarijs quibuscumque minimè obstantibus.Declarantes dictum Breue dicto Reuerẽdo P.Priori Sancti Isidori,nec successoribus Prioribus,pro tempore in dicto Conuentu,seu Monasterio existentibus aliquomodo super gubernio,& administratione dicti Hospitalis afficere potuisse,nec posse,& tanquam nullum,obreptitium,& subreptitium,nullam contra dictum Priorem,& successores meruisse,nec mereri executionem,tanquam si dictum Breue emanatum non fuisset. MONEMVS insuper,modo & forma præmissis,sub eisdem infrascriptis sententiarum,& censurarum pœnis,dictum D.Ioannem Rubio de Herrera Procuratorẽ,dominum litis effectum præfatum,& quascumque alias personas,cuiuscumque status,gradus,& conditionis existant,in causa,& causis huiusmodi interesse habentes,vel habere prætendentes,quatenus infra triginta dierum spatium,post præsentationem,& requisitionem vobis,seu alteri vestrum,pro parte dicti,nunc,& pro tempore existentis R.P.Prioris Sancti Isidori del Cãpo principalis prædicti,desuper factas immediatè sequentes; quorum triginta dierum,decem pro primo,decem pro secundo,& reliquos decem dies pro tertio,& peremptorio termino,ac monitione canonica assignamus,à dictis molestationibus,vexationibus,perturbationibus,& impedimentis quibuscumque eidem Priori Sancti Isidori,& pro tempore existenti,occasione dicti asserti Breuis,quomodocumque,& qualitercumque de & super libero gubernio,& administratione dicti Hospitalis,ad dictum R.P.Priorem spectantibus,& pertinentibus,desistatis,nec eum,& pro tempore existentem Priorẽ,super dicto libero gubernio,& administratione Hospitalis prædicti,ad dictũ nunc,& pro tempore existentem Priorem spectante,& pertinente,per ampliùs impetatis,vexetis,& perturbetis,seu impetere,vexare,& perturbare præsumatis,imò dicta libera administratione,& gubernio dicti Hospitalis,cum prærogatiuis,honoribus,& iuribus suis vniuersis,vti,frui,potiri,& gaudere sinatis,& permittatis. INHIBEMVS præterea modo,& forma premissis,vobis omnibus,& singulis supradictis,sub infrascriptis pœnis,& censuris,ne quominus,prædicta omnia,& singula suum debitum consequantur effectũ,& dictus R.P.Prior,& sui pro tempore in dicto Prioratu successores,dicta libera administratione,& gubernio dicti Hospitalis,cum prærogatiuis,& iuribus suis vniuersis,vtantur,fruantur,& gaudeant,& in ea manuteneantur,& conseruentur,impedimentum aliquod præstetis,vel præstent,aut impedientibus

tibus

tibus,& molestantibus,in aliquo detis,vel dent auxilium,consilium,vel fauorem,publicé,vel occultè,directè,vel indirectè,quouis prætextu,causa,ingenio,aut quæsito colore. ALIOQVIN si forte præmissa,omnia & singula non adimpleueritis,mandatisque,monitionibus, & inhibitionibus nostris,imò veriùs Apostolicis non parueritis,seu paruerint cum effectu, Nos in vos, & ipsos omnes,& singulos supradictos,qui culpabiles fueritis, seu fuerint, in præmissis,ac in contradictores quoslibet,&rebelles quoscumque,vexantes ipsum R.Patrem Priorem Sancti Isidori,super præmissis, illisque dantes auxilium,consilium,vel fauorem,publicè,vel occultè,per se,vel aliũ,seu alios, ex nunc prout ex tunc,& ex tunc prout ex nunc singulariter, in singulos dictis canonicis monitionibus præmissis, excommunicationis, ac in quarumcumque Ecclesiarum,& Monasteriorum Capitula, Collegia, & Conuentus quęcumque,in his delinquentia suspensionis à diuinis, & in ipsorum delinquentium,& rebellium Ecclesias,Monasteria,&Cappellas,interdicti Ecclesiastici sententias ferimus in his scriptis,ac etiam promulgamus: Vobis verò Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis Archiepiscopis, & Episcopis dumtaxat exceptis,quibus ob reuerentiam vestrarum Pontificalium Dignitatum deferimus in hac parte,si contra præmissa,vel aliquod præmissorum, per vos,vel submissas personas feceritis,prędicta sex dierum canonica monitione pręmissa,ingressum Ecclesiarum interdicimus in his scriptis:ad quarũ quidem censurarum declarationem, aggrauationem, reaggrauationem, interdictum,& brachij secularis inuocationem,ac ad alia grauiora iuris remedia procedemus,iustitia mediante. ET INSVPER Vos Serenissimum Principem,& Dominum D.Philippum Hispaniarum Regem antedictum, quem ob reuerentiam vestrę Regalis Maiestatis, nostris censuris ligari nolumus, ad prefatas nostras litteras exequendas, benignè in Domino, ex parte Sanctissimi Domini nostri Papę hortamur,atque rogamus. ABSOLVTIONEM verò in præmissis,Nobis, vel Superiori nostro tantummodò reseruamus. In quorum,& singulorum præmissorum omnium fidem præsentes exinde fieri, subscribi,& publicari,sigillique nostri,vel alterius Coauditoris nostri iussimus appensione muniri. Datum Romæ,apud Sanctum Petrum, sub anno á Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo,Indictione octaua,die veró trigesima mensis Aprilis, Pontificatus autẽ Sanctissimi in Christo Patris,& Domini nostri Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ Octaui,anno eius decimo septimo,præsentibus ibidem, audientibus,& intelligentibus Dominis Archangelo Barono, & Horatio de Marchis,sacri Palatij Apostolici Causarum Notarijs, testibus ad præmissa vocatis,habitis,atque rogatis. ¶Et quia D.successor in officio D. Andreæ Brugiotti,sacri Palatij Apostolici causarum Notarius,de præmissis rogatus fuit;ideò ego Paulus Citadonius,eiusdem sacri Palatij causarum Connotarius,pro eodem Domino successore præsentes subscripsi, & publicaui requisitus. Loco ✠ signi Notarij subscribentis,ad marginem subscriptionis appositi. Locus ✠ sigilli pendentis.